



Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 13. De Transfiguratione Christi Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

CAPUT XIII.

De Transfiguratione Christi Domini.

Die Transfigurationis (anno 1616.) mihi Dominus ostendit gloriam suæ animæ & corporis, hunc in modum: Vidi sanctos Angelos latissimos, qui mihi cum magno gaudio dixerunt: Lætare, Soror, quia Dominus tibi vult exhibere ingentem gratiam. Respondi illis: Mei Domini, ego magnifico Divinas gratias, in hac tamen vita nolle, ista solatia. Ipsi autem mihi responderunt: Verè es Amica DEI, quia abnegavisti id, quod maximè poteras amare, ac desiderare: sed non ideo intermittet DEUS te suis cumulare favibus. Paulo post conspexi in alto monte Christum Dominum, qui mihi ibidem manifestavit gloriam suæ sanctissimæ animæ, & vidi tantum, ut admirabunda dixerim: Istène est Fons, ex quo oritur gloria Beatorum? Respondit mihi Dominus: Quiesce, statim enim videbis amplius. Aliquantò post, vidi quomodo sanctissima anima communicaverit suam gloriam suo sanctissimo corpori, quod fuit ad stuporem speciosissimum & glorioissimum. Rursum post aliquod tempus, manifestavit mihi Dominus, pro meo captu suam Divinitatem, & infinitum Esse, cum omnibus suis perfectionibus, atque tunc mihi dixit: Hic est Fons gloriae, quā fruuntur Beati.

Alio die Transfigurationis (anno 1618.) illam duxerunt ipsius sancti Angeli ad quendam altum locum, ubi representatam videntur.

Transfigurationem Christi Domini. Et subito, addit, vidi venientes ex celo duos Angelos magnæ Majestatis, qui erant duo Seraphini, toti ardentes igne Divini Amoris, & ferebant perelegans thuribulum, pendens ex duabus distinctis catenulis, in quo erant quædam prunæ, & suffumentum quoddam fragrantissimum, unde ascendebat in altum suavissimus fumus, & appropinquantes mihi dixerunt: Soror, hoc thuribulum tibi adferimus nomine DEI, accipe illud. Mox comparuit meus Angelus Custos, ac dixit: Hoc donum est à me suscipiendum, & custodiendum; me enim illud oportet adhibere, quando opus fuerit. Suscepimus thuribulum tenuis supra suum pectus, ac deinde imposuit meo pectori, dixitque mihi: Hoc thuribulum est donum orationis, quod tibi Dominus denuò concedit, & ille fumus est oratio, quæ ascendit ad thronum DEI, ipsique vehementer placet. Ego tibi illud semper applicabo, & præsertim in rebus gravibus, ac majoris momenti; noli verò ægræ ferre, mihi fuisse datum: quia quando parvulo Filio datur pretiosum aliquid munus, bene fit, si id accipiat ipsius Parens, ut illud conservet; hoc enim ipse melius præstat, quam puer.

Istud donum orationis est fructus glorioissimus, qui colligitur ex hujusmodi visionibus, & accommodatissimus huic mysterio Transfigurationis, quod dicit sanctus Lucas contigisse, omni Christo Domino.



CAPUT

TII4/3